









FRANCISCI OUDENDORPII
ORATIO
DE VETERUM
INSCRIPTIONUM
ET
MONUMENTORUM
USU, LEGATOQUE
PAPENBROEKIANO,

HABITA


In majori Academiae Lugduno-Batavae auditorio,
a. d. XXVII. *Septembris.* MDCCXLV.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS & FILIUM,
Academiae Typographos. 1745.

M. Tydeman,
18. Sept. 1821.
Dono
Clariss. [illegible]

FRANCISCI OUDENDORPII
ORATIO
DE VETERUM
INSCRIPTIONUM
ET
MONUMENTORUM
USU, EDITAQUE
[illegible],
HABITA
[illegible] Academiae Lugduno-Batavae [illegible],
d. d. XXVI. Septembris MDCCXLV.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS et Filium,
Academiae Typographos. 1745.

PERILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS

VIRIS

ACADEMIAE LUGD. BATAVAE

CURATORIBUS,

GUILIELMO

COMITI DE BENTINK,

TOPARCHAE IN RHOON ET PENDREGT, EQUESTRIS HOLLANDIAE ORDINIS MEMBRO, ET AD SUMMUM BELGARUM FOEDERATORUM CONSESSUM DELEGATO, VRIS AQUIS ET AGGERIBUS RHENOLANDIAE CURANDIS SEPTEMVIRO, ETC. ETC. ETC.

JOANNI VAN DE POLL, JCto.

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS SENATORI, VIRO CONSULARI, ETC. ETC.

PAULO SEBASTIANO LE LEU DE WILHEM, JCto.

TOPARCHAE IN BESOYEN, CIVITATIS ROTTERODAMENSIS SENATORI, ET CONSULARI VIRO, SUMMO AGGERUM SCHIELANDIAE PRAEFECTO ET PRAETORI, ETC. ETC.

EORUMQUE COLLEGIS,

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMISQUE VIRIS,

CIVITATIS LEIDANAE CONSULIBUS,

JOHANNI VAN DEN BERGH, JCto,
CONSULI PRIMO, RHENOLANDIAE PRAETORI SUPREMO, AGGERUMQUE EJUS, VIARUM ET AQUARUM PRAEFECTO, ETC. ETC.

ABRAHAMO HOGENHOUCK,
JCto, COLLEGII AGGERIBUS, VIIS, AQUIS RHENOLANDIAE CURANDIS ADSESSORI, ACADEMIAE QUAESTORI, ETC. ETC.

JOANNI VANDER MARCK, JCto,

ABRAHAMO ALENSOON,

UT ET

GRAVISSIMO, CONSULTISSIMOQUE VIRO

DAVIDI VAN ROYEN, JCto,
REIPUBLICAE LEIDANAE A SECRETIS, NEC NON ILLUSTRI CURATORUM AC CONSULUM CONSESSUI AB ACTIS,

Orationem hanc, suaque Studia

D. D. D. L. M. Q.

FRANCISCUS VAN OUDENDORP,
Histor. & Eloq. Prof.

FRANCISCI OUDENDORPII
ORATIO.

MAGNIFICE RECTOR.

ILLUSTRISSIME ACADEMIAE BATAVAE CURATOR.

AMPLISSIMI, GRAVISSIMI LEIDENSIS URBIS PRAETOR, CONSULES, JUDICES, QUIQUE IIS A CONSILIIS ET TABULIS ESTIS, VIRI PRUDENTISSIMI, SPECTATISSIMI.

QUARUMVIS DISCIPLINARUM, ARTIUMQUE PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGIO ATQUE AMICITIA MIHI NECESSARII, HONORANDI.

ACADEMICI TRIBUNALIS ACTA QUI CURAS, VIR ORNATISSIME.

SANCTORUM ORACULORUM AC CERIMONIARUM ANTISTITES, SACRIQUE ORATORES DISERTISSIMI, PLURIMUM VENERANDI.

MATHESEOS LECTOR ACUTISSIME, DEXTERRIME.

CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, ERUDITISSIMI CUJUSLIBET SCIENTIAE DOCTORES.

CIVES, HOSPITES, INCOLAE, ADVENAE CUJUSQUE ORDINIS, LOCI, AETATIS HONORATISSIMI.

TU DENIQUE LECTISSIMA FLORENTISSIMI HUJUS ATHENAEI JUVENTUS, HUJUS AEDIS DULCE DECUS, PATRIAE, ECCLESIAE AC PARENTUM SPES ET VOLUPTAS, NOSTRA CURA, NOSTRUM GAUDIUM.

ARtes, quae ad humani ingenii culturam pertinent, communi sese cognatione contingere, ac quodam necessitatis vinculo cohaerere, sedula earum meditatione cognoscunt, quotidiano exercitio experiuntur, solidisque argumentis probant; ac suavissimam, etiam dissimilibus, concordiam, & quasi Musicam harmoniam subesse, rectissime statuunt sapientes viri. Qui divinarum rerum sese dedunt contemplationi, sacrorumque codicum & purae religionis interpretes habentur; qui naturalis & civilis juris cognitione imbuti, forenses decidunt lites, aut clientium patronos agunt; qui humani corporis fabricam indagant, & millenis morbis medicinam herbarum faciunt vi, mutuo nonnumquam auxilio sibi opus esse, vel certe Philosophiae & Liberalium Artium adjumento se carere non posse, ingenue confitentur. De iis loquor, qui severa lege doctrinam colunt. Istos, qui scientias, uti

fabriles vel sellulariae tractant artes, aut solo victus quaerendi, vel vano titulo superbiendi caussa, inpudenter eruditorum sese inmiscent gregi, nihil curo. Humanitati vero & literis qui graviter studet, is ab aliis alienum sese habet disciplinarum nullam, & ex singularum fontibus quam plurima, quibus latissimum suae doctrinae fundum inriget ac fecundet, haurienda libenter agnoscit. Quotquot denique rerum sunt periti, cunctas simul mortalium saluti & felicitati suo quamque genere & modo atque conducere, & aliam alius ope in vicem indigere, sibique promiscuam praestare operam, vere concludunt. Nam, quicumque vendicandae atque extollendae, quam profitebatur, artis gratia, reliquas fastidiose vituperare adortus, & deprimere conatus est, hominem istum non serio perorasse; sed ingenii luxuriae indulgendo facunde lusisse, aut frigida & circumforanea garrulitate vocem prostituisse, justissime existimetis.

Quae quum ita sint, nequaquam contemni, nihili ve duci debent instrumenta, quae quisque scientiae sibi delectae consummationi judicat necessaria. Undecumque sint arcessita, ac primo quoque contuitu viliora. Multo minus adspernandi deridendive, qui talia vel acri ingenio excogitant, vel indefessa industria, excussis omnibus latibulis, anquirunt, vel anquisita adsiduo labore exasciant, perpoliunt, & in promtissimos praeparant usus. Utique si scientiarum, quibus operantur, perfecta cognitio tam ardua sit,

ut

ut eo enitentibus plurima adminicula oporteat subministrari.

Harum in censum quum sine controversia, referri debeat diffusissima, & per omnium fere disciplinarum ambitum sese distendens priscarum Historiarum, Graecorum Latinorumque sermonis, rituum & cerimoniarum, atque humaniorum litterarum peritia, ejus adipiscendae ergo multiplicia instrumenta & subsidia, variaeque requiruntur artes, quas hic ankie consectari, ne a proposito tramite deflectendi & aberrandi viam panderent, supersedeo.

At, roget quispiam, Quo operosum adeo adparatum? Ergone totum hoc studium intra vetustarum gentium monumenta haud coercetur, iisque circumscribitur spatiis, & plene atque omnino versatur? Nec sane illud nego. Multum nihilominus animi falleretur, si qui crederet, celebrium virorum, qui divinas olim humanasque res manu consignarunt, & posterorum memoriae permiserunt, libris unice contineri. Ut pleraque eo spectantia complectantur, nequaquam tamen illis sufficiunt, qui secretiora & intima Antiquitatis adyta penetrare pertendunt. Etenim per longinquum tot seculorum decursum, per incendiorum aliarumve cladium injuriam, per barbarorum vastationes, per scribarum inscitiam ac negligentiam, vel ipsorum etiam auctorum vitium & incuriam, aut temerarias audacium criticorum conjecturas, pluribusque de caussis effectum est, ut vel deperditi, vel

cor-

corrupti & interpolati, vel obſcuri nobis libri non claram ſatis lucem permultis in rebus lectori praeferre queant, & Antiquitatis ſtudioſos tamquam nebuloſa in caligine micare ſinant. Aliunde igitur petenda remedia, aliunde mutuanda fuerunt inſtrumenta, per quae malis iſtis ſuccurri poſſet, atque hiſtoriarum hiatus & defectus aliquantum ſarcirentur, incerta firmiorem invenirent fidem, obſcura et dubia inluſtrarentur, atque evaderent explorata.

Intelligitis facile, ut opinor, Auditores ornatiſſimi, haec ſubſidia prae ceteris antiquariam eſſe ſupellectilem, hucusque Temporis, omnium rerum edacis, faucibus ereptam: Nummos, dico, inſcriptosque lapides, ſtatuas, imagines, aliaque vetuſtatis monumenta, ſive doctas, vel daedalas priſcorum ſeculorum reliquias, ex quovis metallo, quavis materia fabricatas, & disjectis ac diſſipatis proſtratarum urbium ruinis, terraeve matris ſinu & viſceribus denuo erutas atque effoſſas. Quarum univerſarum, ſingularumque venuſtam dignitatem & praeſtantiam compluries decantarunt, ac nitidiſſimarum tabularum ſculptura lectorum oculis peramaene ſubjecerunt, ſenſumque interiorem diſertos per dialogos & elucubratas reconditae eruditionis diſſertationes dextre enuclearunt viri, nummariae, lapidariae, totiusque antiquariae rei ſcientiſſimi. Quocirca animum ſaepe ſubiit admiratio, vel ſic tamen hodieque inſanire nonnullos, qui maximum illarum uſum elevare, &

Antiquarios, tamquam stultos & ineptos, ridiculos saltem, & scruta pro pretiosissimis rebus nundinantes homines explodunt, omnibusque differunt modis; ac certi parum, obscuritatis quamplurimum, idoneae fidei nihil ferme in lapidibus, signis, ac reliqua supellectili inesse calumniantur. Nam numismatum auctoritatem, decus & utilitates adrodere amplius audet nemo: ex quo illa contra male sanas quorumvis vitilitigatorum obtrectationes & despectum invictis argumentis vel unus adseruit incomparabilis EZECHIEL SPANHEMIUS.

At parem, si non majorem, litteratis saxis & marmoribus laudem deberi, equidem arbitror, nullusque dubito; quin, si Spanhemiani ingenii dote, tantaque eruditione praeditus vir huic spartae ex professo ornandae facultates suas admoveat, eodemque vel simili pacto lapidum usum commendet [id quod eleganter nec inscite per Nummorum & Epigrammatum collationem Italice quandoque instituerat natalium fulgore, grandibusque de litteraria Republica meritis inclytus SCIPIO MAFFEJUS] numismatibus dubiam redderet victoriam, primamque iis palmam auferret.

Verum vel absque tanto propugnatore sarta tecta manet veneranda vetustorum marmorum utilitas, eaque frequenter meditandi necessitas, quam detractabit nullus; nisi qui illorum pretium ignorat. Ad me quod adtinet, persuasissimum habeo, & nihil

fere

fere in elegantiorum disciplinarum studio sine horum monumentorum ope profligari posse, ac nullam dari scientiam, cui Epigrammata lumen non adfundant, contendo. Quamquam ego, qui meae tenuitatis tam gravi argumento, ut decet, sustentando perquam inbecillae conscius sum, numquam me, primum forsitan, in suggestu talem suscepturum esse caussam, cogitaveram. Sed quo naturaliter non inclinabat animi libido, eo nostri Athenaei, perinsignibus hujuscemodi monumentis ex Amplissimi PAPENBROEKII testamento nuperrime ditati, felicitas inpulit me haud invitum. Etenim, tametsi Antiquariae rei Professor publice non audiam, Eloquentiae tamen, mihi demandatae, partes, nostrique ordinis honor postulare videbantur, ut egregiam viri liberalitatem pro sollemni concione officioso encomio sponte celebrarem, ac simul splendidam illustrium Academiae Septemvirorum de hoc legato curam & magnificentiam grata mentis orisque significatione decorarem.

Hac idcirco occasione haud inopportunum neque injucundum putavi, prius de fructibus, ex lapidearum prisci aevi reliquiarum studio percipiendis, pauca disputarem: nam cuncta in earum laudem congerere, voluminum aliquot opus & labor foret: ac cursim, quantum quidem compendiosa unius horulae oratio permittat, utilitates & commoda perstringere, & sic hujus ipsius legati usum quodammodo demonstrare

decrevi. Quod vobis, Auditores humaniſſimi, non diſplicendi ſpe atque opinione, dum ago, patienter & intente ut mea verba excipere, benevoloque animo & aequo judicio adeſſe mihi velitis, rogo quaeſoque.

Ut autem ordine procedat Oratio, ab Graeci Latinique ſermonis elementis, quibus plurima conſtant Epigrammata, dicendi principium eſt deducendum. Etenim qua figura formaque litteras, e Phoenice cum Cadmo in Graeciam adlatas, exararint, quot, qualibusque modis adhibuerint, quam ſcribendi rationem & normam ſecuti, quibus numeralibus notis, quibus ſignis & characteribus uſi ſint vetuſtiſſimi Cretes, Aeoles, Iönes, Dores, Achaei, Attici, Latini; quantas variationes haec omnia, temporis per tot ſeculorum ſeriem progreſſu, ſive vulgari ex uſu, ſive grammaticorum placitis ſubierint, quantumque hinc diſcrimen inter antiquarum & recentiorum aetatum ſcripturam ſubortum ſit, an quiſquam opinetur, aliunde ediſci poſſe, quam ex nummis partim, partim & quidem multo luculentius ex contentis in duro quovis lapide monumentis, ſeu paginis (liceat ſic adpellare) marmoreis? Quippe litterae vocesque ſuapte natura firmae permanent hic, eodemque ordine ſincerae, & in aeternum retinent ſuas, quibus excavatae fuerunt, lineas & autographos ductus: dum relicta in caudice, papyro, membrana, bombycinis vel linteis chartis ex-

em-

emplaria a manu librariorum, vel criticorum prurigine atque arbitrio pendent, ac, quoties describuntur, mutationi sunt obnoxia, adeoque istis perparva vel nulla fides in scriptionis tenore tribui potest; summa vero lapidibus habeatur, necesse est. Quid! quod nullus calamo exaratus codex mille & trecentorum (si quidem tot) annorum superet aetatem: quum saxeae Inscriptiones numero crebrae, & rerum materia praestantissimae, Graecae, Latinae, exstent; quae, non dico, ad altiorem & venerabiliorem adscendunt vetustatem, sed permultis ante natum orbis Servatorem & continuis seculis confectae, atque iisdem circa locis, quibus exstruxerat Antiquitas, plurimum dehinc repertae sint. Uti noverunt, quotquot in re litteraria non plane hospites, omnisque antiquitatis sunt rudes. Neque enim metuo, ne vestrum cuipiam adridere possit absurda prorsus famosissimi J. HARDUINI sententia, somniantis, plerasque omnes Inscriptiones ex membranis longe posterioris aevi, itidem scilicet, si Dîs placet, spuriis, in marmora & lapides esse traductas. Si quae sunt, ut certo sunt, subpostititiae, & a lucripetis sordidi quaestus gratia, vel a male feriatis hominibus, ut suos turpiter deciperent aequales, adulteratae, istae in aliarum comparationem nullum numerum faciunt, ac suis se notis & indiciis, ut sorices, brevi falsisque nummis ocyus, produnt.

Praetermitto, quam multa de litteris, syllabis,

vocibus, formulis & antiquato ſcripturae, eloquiique more in utriusque linguae auctorum & grammaticorum inveniantur dictatis, quae ſine marmoreorum titulorum ſubſidio & ope vix intelligere queat ullus. Taceo, per eosdem utramque linguam plurimis verbis, quae fruſtra in libris quaeras, auctam, earumque pomoeria prolata. Sileo, optimam Romani ſermonis orthographiam, prae lubrica ejus in codicibus vacillatione, lapidibus totam deberi, & ad illorum, quotquot ſpectatiſſimae bonitatis ac fidei ſunt, formulas inſtituendam eſſe. Innumera hic coacervare in proclivi foret. Sed tam illis, quam exemplorum turbae, ne grammaticalibus, ut ajunt, quisquiliis taedium pariam, parco: vobisque, Auditores, haec de Hellados Latiique dialectis ſatis ſint dicta; ſi quidem ſuperſunt majora. Quid enim? Nonne multarum linguarum, quarum notitia nullis in membranis chartiſve comperiatur, memoria per fideliſſimos hosce, & commiſſi tenaciſſimos Antiquitatis internuncios eſt conſervata? Teſtes ſunt nobiliſſimae aliquot inſcriptiones Palmyrenae. Teſtes creberrima Hetruriae monumenta, ex quibus priſcas Lydorum Tuſcorumque populorum litteras & caſcum ſermonem, penitus aliter intermortuum, reſuſcitarunt, atque una cum illis abſtruſam vetuſtiſſimarum rerum copiam revelarunt & explicuerunt, atque etiam nunc earum ſatagunt Italorum laborioſiſſimi. Teſtes denique, ut alias barbaras-

que

que gentes silentio praeteream, Aegyptiacae sunt columnae, & sacri cippi, mensaeque, hieroglyphicis sacerdotalis linguae figuris omni ex latere oppletae; in quibus non solum Niloticae nationis cerimonias, mysticumque deorum cultum, sed etiam fata ac veterum regum & dynastarum historias contineri, eaque marmora sacratissimos Aegyptiorum fuisse commentarios, haud sine magna veri similitudine suspicantur viri, quos eruditus jure merito veneratur orbis.

Sed quid diutius his vel levioribus vel obscurioribus immoramur? Alio potius nostra se convertat Oratio, & quos, ad Ethnicorum superstitiones, ac civilem, tum publicam, tum privatam, & militarem vitam pernoscendam, usus commodent litteris signisque figurati lapides, raptim, quantum pote, percurramus. Ac primo liquidissimam auctoribus faciunt fidem, eorumque de singularibus deorum dearumque titulis ac nominibus testimonia evidentissimis documentis corroborant, & perspicua claritudine subfundunt. Nec vobis id videatur mirum: quum Graeci Latinique scriptores ad ipsos illos lapides, qui vel ante ora oculosque praesto fuere, vel mentibus inhaerebant, persaepe adluserunt. Ut omittam cognominum exaggerationem, quae, sicuti in hymnis, ita in marmoribus spissim conglutinari solent. Exemplo sit ponderosi saxi, olim in Trajectino magni GRAEVII horto nobilitati, nunc hic ad sinistrum

ſtrum Academici vireti latus adcubantis, Epigraphe.

IOVI OPT. MAX. SVMMO
EXSVPERANTISSIMO.
SOLI INVICTO APOLLINI.
LVNAE DIANAE. &c.

Ad haec, quam multos tutelares daemonas, quique certis regionibus, urbibus, ſilvis, montibus, fluviis, maribus, viis, domibus, hominibusque praeſidere fingebantur, utriusque ſexus genios, Lares ac Penates, ignotosque deos, divasque matres, quorum nulla mentio veterum ſcriptis inſeratur, hic deprehendimus fuiſſe cultos? Quantum itaque ad nefandas paganorum religiones & perverſas de divinitate opiniones indagandas inſerviant ſaxa, ecquis non ſentit? Jam diis divinisque perſonis naturalis rerum ordo & copula ſubjungi flagitat ſacerdotes, pontifices, augures, flamines, & neſcio quibus nominibus diſcretos, ſacris faciundis viros, feminas, eorumque collegia, fraternitates, ſodalitia, miniſteria. Profecto de his non pauciora in marmoreis, quam chartaceis monumentis offendas. Et quid? ſi nunc ipſa numinum ac ſacrificulorum ſimulacra, ſuo quodque habitu & forma, ſuis quodque ornamentis, & cultus veſtitusque inſignibus, ac ſacris Muſicisque inſtrumentis, quaeque in ſingulorum deorum tutela erant, beſtiis & arboribus, per ſummorum artificum dextram expolita, atque jam olim ab ipſis potentibus Romanis avide corraſa, nec ſine

sine sacrilegio saepe sedibus suis ac sacrariis subrepta, & ad poëtarum ac Christianorum, qui vocantur, patrum intellectum atque interpretationem mirum quantum facientia, recensere; si templa, aedes, sacella, mensas, aras, signa, bases & donaria, quorum vel meminerunt, vel quae ipsa sunt lapides, referre; si publicorum & privatorum votorum, consecrationum, dedicationum, donationum & gratiarum formulas enumerare vellem; unde initium sumerét, ubi finem inveniret Oratio? Myriadum aliquot haec est frequentia. Quum vero ad multiformia Ethnicorum sacrificia conjiciamus animum, per utros judicetis, Auditores, hic certiora vos doctum iri? auctoresne, qui solis ea verbis descripserunt? an marmora, in quibus eodem, quo peragebantur, modo, per artificiosa toreumata vive repraesentantur? Quid? quod Arvalia sacra, & Mithriacorum, Tauroboliorum, pluriumque mysteria sic satis etiam nunc occulta forent, nisi inscriptionum & anaglyphorum subsidio in publicum essent protracta. Nec minor harum reliquiarum usus circa feriatos dies, in marmoreis quoque Kalendariis notatos; item festa, ac ludos in circo, theatro, amphitheatro, quorum stupenda adhucdum suspicimus rudera, exhibitos; nec non sacros agonas, & illorum curatores operariosque versatur. Religiosa tandem vasa, sanctamque supellectilem, quarum rerum genuinam speciem mente concipiet, aut sibi formabit nullus; nisi

si qui pictas fictasve praesens viderit, in saxorum areis exactissima cura delineatam passim cernere nobis ac contemplari datur.

Atque hic sat amplo de sacris & cerimoniis, per marmora conspicuis, sermoni terminum ponere constitueram. Sed revocat me, memor defunctorum hominum, deorumque Manium cogitatio, & sepulcralium titulorum respectus. Namque religiosas inter res, mortalium contrectationi exemtas, nec temere umquam profanandas, politioribus gentibus, Italis praecipue & Graecis, habita esse sepulcra, cinerumque sedes & domos sacellorum ad similitudinem honoratas, ac veneratione paene divina adfectas fuisse, vestrum neminem fugit. At quam immensus declamandi sese hic aperit campus? Quam fertilis adcumulandae materiae exsurgit seges? Funeratus enim veterum, qualiscumque aetatis, sexus, loci, infima nisi de plebis faece, ferme est nemo, cujus urna, bustum vel conditorium, quo cinerea integebatur olla, non aliquo elogio, sive privatim, sive publice, fuerit ornatum; cujus Manibus inferiae non sint oblatae. Hinc tot ubivis sepulcrales arae, tot mensae ferales, tot bustuariae aediculae, nominibus titulisque praesignes. Hinc denique millia centena inscripta marmora, e quis piam antiquorum mortuos erga magistratus, parentes, liberos, propinquos, adfines, necessarios, hospites, sodales & collegas discimus consuetudinem; ac super omnia

lau-

laudabile enitet studium, suam reverentiam, luctum, adfectionemque tam tenerrimis carminibus, quam prosa eloquentia declarandi, & sepultorum memoriam, quantum in ipsis erat, propagandi. Ex iisdem, quae fuerint pleraeque leges, jura, cautiones, exsecrationes, & quodcumque ad sepulcra, seu priva, seu toti familiae aut gentilibus communia essent, non violanda, umbrisque aeternam quietem parandam pertinet, pervestigare licebit Jurisconsulto. Ex iisdem veterum Christianorum, quique pro vera in Jesu fide, ac sanctissima persuasione diram perpessi sunt necem, sepulturae & depositionis ritus, tumulorum & epitaphiorum aenigmata atque emblemata, marmoreis lamellis, vel pretiosissimis & anaglyptico opere adfabre elaboratis arcis incisa, ac Romae aliorumque oppidorum suburbiis, coemeteriis & hypogeis extrusa, Ecclesiasticarum rerum indagator adfatim docebitur. Vel solam evolvatis, obsecro, subterraneam PAULI ARINGHII Romam. Verum enim vero a sacris ad profana tandem transgrediendi tempus est. Quantae hic utilitatis sint lapides, ostendunt tot majorum minorumque magistratuum, dignitatum, honorum, munerum, officiorum nomina, quibus vel in Graeca Romanaque republica gerenda, & in municipiis, coloniis, provinciis regundis, vel in augusta Imperatorum domo, seu palatio administrando perfuncti fuerunt cujuscumque ordinis & conditionis viri. Monstrant tot aedificia,

tot moles, locaque publica, in lapidariis residua fragmentis. Evincunt tot pagi Attici, tot tribus, tot regiones urbanae vicique, quorum superstes nobis cognitio marmoribus tantum non est adscribenda. Sive ad privatam respicere vitam dignemini, variae professionum, artium, negotiationum, mercaturae, opificiorum species, quaeque iis propriae sunt formulae, & instrumenta vos poterunt detinere; varia, collegia & sociata ad omne quaestus lucrique genus corpora vestram curiositatem vel exercendo vel satiando erunt. Sive rem antiquorum vestiariam scire cupiatis, copiosissimos ejus paratus a capite ad pedes in obtutum vobis sistent opera anaglypha, statuae, effigies, signa. Nam cetera utensilia omnigenasque domesticorum vasorum picturas, ne longior sim, non tango. Sive illustrium virorum & familiarum nomina, stemmata & insignia contexere ac digerere lubeat; unde, quaeso, luculentiora subsidia comparabitis, quam ex refertissimis Epigrammatum thesauris? Seu magis Imperatorum, diis aequiparatorum, Caesarum & Augustarum ambitiosissimos titulos, & ad fastidium usque non raro cumulatos, per quos illis belli pacisque arbitris, illis orbis rectoribus & dominis adulati sint cives, socii & provinciales, admirari vel deridere velitis, non minus argumenti vobis subpeditabunt lapides, quam libri & numismata; hisque postremis clarius multo, & majore verborum complexu istos exhibebunt. Ne

nunc

nunc de ipsorum aliorumque principum, ac tam ingenio & doctrina, quam fortitudine & potentia excellentium virorum faciebus, capitibus, & simulacris loquar, quae, raritate & pretio cariora, aeque jactant & magnificentiore cum pompa ostentant marmoreae, quam aureae, argenteae, aereaeque reliquiae. Quamquam hac in parte saepe fucum facere, ac subdole nugari antiquarios, ignotis vultibus inclyta inponentes nomina, haud nescii simus.

Porro si sacra, si funebria, si civilia instituta tantum splendoris, tanta commoda ab hisce saxis foenerantur, quanta ex iis bellicae & militaris rei, tum pedestris, tum navalis, studium lucrari non existimetis? Tot enim ubivis terrarum lapideae comparent inscriptiones, quae frequentem nominum rerumque, in Graeca & Latina militia obviarum, memoriam uberemque notitiam inculcant, numeri ut ratio non queat iniri. Tot in illis navium, armorum, machinarum, signorum, vexillorum conspiciuntur figurae, ut in auctores, qui de his parum, utpote sua aetate tritissimi usus, vel nobis nunc minus dilucide scripserunt, commentariorum vicem millies fungantur. Immo si ad inferiora Romani imperii tempora mentem adplicamus, oppido crebriora de vexillationibus, aliisque armatorum corporibus, plura de majoribus ducibus, minoribusque praefectis & gregariis militibus, certiora de armamentariis, castrorumque officinis, magisque diversa saxis & co-

lumnis insculpta legas, quam scriptis testata. Quoties praemia ac donativa, coronas, hastas, torques, phaleras, armillas; quoties militares dilectus, gradus, ac Martialium virorum elogia, honestamque missionem haec commemorant, grandia saepissime, monumenta, tropaeorum ad instar illis dicata, vel per ipsos gratiarum ergo imperatori aut praesidi statuta, &, quoquoversus bellicosissima gens per tres orbis terrarum partes victricia arma circumtulit, hibernisque consedit, dispersa? Considerate, precor, quantum per haec omnia lumen actorum veterum scriptoribus succendatur: quot salebrosa loca hinc levia & perceptu facilia reddantur.

Quid aio? Ipsae historiae ex militaris rei lapidibus integerrimum veritati praesidium firmissimumque columen parant, sibique candidam contrahunt lucem. Quidquid de exercituum, legionumque viribus, quidquid de superi inferique maris classibus praedicarunt auctores, valido tibicine suffulcit, atque confirmat marmorum robur. Haec distincte nobis instruunt triginta, quarum catalogum, sed mendis haud vacuum, concinnavit DIO CASSIUS*, legiones, earumque multiplicia cognomina ac membra millenis locis producunt. Haec regiones, oppida, colonias, pagos, castella, in quis nunc hic, nunc illic pro mutabili temporum & expeditionum ratione per aliquot secula hibernarunt, ac praesidia obtinuerunt Romulei nepotes, nobis designant, atque haud exiguam antiqui-

* L. LV. p. 564.

antiquitatis conſtituunt partem, hucusque nondum ſerio, nec decore, quod miremini, pro materiae pondere, copia & varietate ab hominibus, eam percallentibus, tractatam aut illuſtratam. Haec multorum actuum bellicorum, multarum victoriarum, multorum triumphorum ſunt indices & indubitatae fidei teſtes. Veſtram ego, Auditores humaniſſimi, attentionem factis minutioribus adnumerandis non defatigabo. Animum mihi advertite Capitolinos Faſtos, & tot ſplendida tropaea, tot ſuperbos triumphales arcus, tot fornices portasque inſignes, tot celſiſſimas columnas, tot caelo eductas pyramides, quibus praeclare terra marique geſtae res manſuris in ſecutura ſecla characteribus ac figuris ex SCto enarratae & deſculptae ſunt, eo ipſo in tempore, quo immortalem laudem fortiſſimi meruerunt Heroes. Nonne C. Duillii de Poenis, Titi Veſpaſiani de Judaeis, Aelii Trajani de Dacis & rege Decebalo, M. Antonini de Sarmatis pluribusque ferociſſimis nationibus victoriae multum auguſtiore modo aeternantur? Nonne lubentius, &, omni ſuſpectione remota, plenius creduntur, quod illorum ſtrenua opera, currus & ſpolia viſu, haud fallaci, luſtrare & admirari licet, quam ſi ex implicita hiſtoricorum, magna quorum pars his ipſis de rebus manca eſt, aut periit, relatione ſola ad poſteritatem eſſent tranſmiſſa? Verum dum liberius hic meam vocem diffundo, & ad tam ſecundum flatum ſermoni vela immitto, lito-

ra

ra me deſeruiſſe, & in vaſtum hiſtoriarum oceanum ſentio eſſe provectum. Illum igitur ut enaviget, inque tutum ſe recipiat portum Oratio, providendum eſt. Quare curſu, quam potero, citiſſimo defungar. Et eo quidem magis, quod, quantum hiſtoricae fidei & claritati ſaxea conſulant Epigrammata, aliquatenus ex ſupra dictis adtento potuerit liquere. Illis itaque praetermiſſis, recognoſcite mecum, diligenterque perpendite, quot pactionum formulas, quot foederum, inter urbes populosque ictorum, exempla, quot regum, gentium, oppidorum, collegiorum ſcita & decreta, vel civiles militaresque actiones, quot togati populi SCta, quot Imperatorum conſtitutiones, quot optimorum virorum virtutes & facta, de quîs vel pauciſſima libris interſperſa & hiulca, vel nihil occurrit, hi lapides, tamquam tot publica tabularia, nobis adſervent, omnibus litteris nonnumquam nec vetuſtate exeſis, nec forte quadam fractis integri, certe temeraria culpa haud depravati. Quot quantique momenti de antiquiſſima hiſtoria particulas, nationum ac civitatium fata ſtatumque indicantes, quarum notitia per ſcriptorum jacturam vel penitus interciderat, vel tortuoſis tegumentis involuta deliteſcebat, horum marmorum beneficio productas & reſtitutas nunc denuo legimus? ac dubio procul legeremus plura, quae nobis adprime mira accederent; ſi vel Muhametana ſuperſtitio ac barbaries cuncta ruinis adhuc ſubmerſa proferri conce-

cede-

cederet, vel non invideret Fortuna. Si qui fidem mihi deroget, in consilium adhibeat quamplurimas inscriptiones in Asia minore, Graecia, variisque illius insulis, Aegypto atque Africa erutas, & vel ipsas in Europam advectas, vel per Anglos inprimis Francosque vulgatas. Adeat Italica, Gallica, Germanica, ceterarumque nostri orbis regionum monumenta, quae ipsi ab historias & antiquitates ruspantibus viris suggeri queunt, mehercle numerosissima. Nam prudentissimus vetustiorum hominum mos & perpetua tulit consuetudo, ut publica acta tabulis, sive aeneis sive marmoreis, promulgarent infixa. Hae ipsis soli erant memoriales libri, hae fide digni annales. Tales Sethidarum de astronomicis observationibus, Sesostris de gloriosis in Septemtrionem excursibus, Cananitarum a Josua expulsorum, & in Tingitanam usque Mauretaniam profugorum, Bacchi de Orientis triumpho, Herculis de Occidentalibus victoriis manubiisque tabulas pilasque praedicant (verene, an falso, ipsi viderint) JOSEPHUS, PROCOPIUS, HERODOTUS, DIODORUS Siculus, STRABO. Tales Patriarchae Jacobi, per quos divinam Bethele visionem, pactumque cum Labane foedus celebrari voluit: tales forsan Israëlitarum apud Gilgalem sculpti lapides, item Absolonis fuit manus. Tales supra memoravi Memphiticas columnas. De Legum enim apud plerosque populos aere vel marmore, praeeunte ipso numine su-

premo, incidendarum ritu, diuturna per tempora gravissimas ob rationes retento, loqui supervacuum arbitror; aliaque, hodienum quoque vigentia, praetergredior complura. Quid! quod totum excidium Trojanum etiam nunc Graeco in lapide expressum videmus legimusque, ut docet Iliados apud FABRETTUM tabella: quod universam Caesaris Augusti vitam, ab ipso, ut conditi a se imperii successoribus in specimen relinqueret, compositam nobis vestibuli Ancyranae aedis parietes custodiverunt. Haec caussa est, cur vulgo ad lapideas ejusmodi paginas, tamquam ad idoneos & probatissimos fidei jussores, provocarint, iisque fundamentis stabilem ac sempiternam auctoritatem inaedificarint historiarum architecti, MOSES, HERODOTUS, THUCYDIDES, POLYBIUS, DIONYSIUS ab Halicarnasso, DIODORUS, LIVIUS, PLINIUS, PLUTARCHUS, alii. Ad haec priscorum Grajorum documenta collustranda & consulenda PAUSANIAS totam Graeciam peragravit. Hisce colligendis jam Ptolemaei Epiphanis tempore Helladicus insudavit POLEMON, στηλοκόπας cognominatus. Idem institutum ex antiquis tenuerunt EUHEMERUS Siculus, PHILOCHORUS Atheniensis, ARISTODEMUS quidam, & NEOPTOLEMUS Parianus, qui deorum, vel Atticas, Thebanasve inscriptiones, aut omnis generis epitaphia e templis, fanis, tumulis convasarunt. Quid! quod Medicinae parens HIP-

PO-

POCRATES atroces morbos eorumque remedia votivis ex tabulis, Aesculapio & Hygiae suspensis, se didicisse professus est. Sed quorsum me dicendi aestus abripit? Satius, ne destinatam praevehar stationem, vela contraho. Habent hinc, quod gaudeant veri priscarum rerum consignatores. Sic enim post tot secula illorum candor & doctrina elucent. CORNELII TACITI, & nostratis COLINI fides, de artissima Batavorum cum Romanis societate & amicitia, nonne egregie stabilitur glorioso, & ad priorum virtutem adaequandam nos quoque posteros instinguente, monumento? cujus epigraphe, velut in monili gemma, in novo radiat legato,

GENS
BATAVORVM
AMICI ET FRATRES
ROM. IMP.

Sed & habent, quod pudeat, falsarii. Sic enim illorum malus dolus vel imperitia innotescit. Mago SIMONI, ut SANCTO DEO, statuam Romae ad Tiberim non fuisse erectam, sicuti quidam Ecclesiae hallucinantur patres; sed SEMONI SANCO, DEO FIDIO, sive Herculi, liquido arguit in Tiberina insula situs lapis. Duodecimam legionem, Christianam quasi vero, nequaquam ob fulmina & pluvias suis precibus a caelo impetratas, FULMINATRICEM esse dictam; verum diutissime ante Marci Antonini aetatem sic vocatam, ex epigrammatis constat.

Latius nunc edissererem, quas vires in posterioribus, & medii, ut dicitur, aevi temporibus, ac remotissimis a Roma terris, quibus vel nulli, vel rariores, vel inscitiores, ac tantum non barbari annalium & vitarum consarcinatores exstiterunt, res exserat lapidaria. Sed jamdudum vereor, Auditores, ne vestras aures nimia laedam loquacitate. Ad hoc Chronologia & Topographia, lucida illa historiarum sidera, deposcunt, ut paucula de se scitu necessaria subnectam. Quippe in temporum ratione accurate computanda, in veteris orbis situ, ac permultis regionibus urbibusque cognoscendis plurimum pollet, regnatque inscriptionum virtus. De gravissimis antiquissimae Graeciae momentis, & primariis historiae articulis nonne multis partibus plura explanatius expedit unum Parium sive Arundelianum inter Oxoniensia marmor, quam omnes fere libri, asperrimis spinis & sentibus operti, infinitisque salebris praepediti? In hoc enim a Cecrope usque in Alexandrum Magnum Hellados origines, instituta & fata, regum & Archontum successiones, regnorum ortus & interitus [ut de cerimoniarum, rituum, artiumque inventionibus, de primorum poëtarum & philosophorum natalibus nihil dicam] tam bene digesto ordine exponuntur, ut sua singulis rebus hominibusque non aetas tantum; sed & quibusdam annus, mensis diesque adsignentur. Archontum Athenis, Regum, Ephororum ac Seniorum Lacedaemone, Con-

sulum,

ſulum, Dictatorum, & Magiſtratuum Romae, negotiorumque ſub illis geſtorum faſtos & annales, item cyclos Chriſtianorum paſchales, nonne coaptare, diſponere, corrigere, emendare, ſubplere, & intricatiſſimos ubique nodos diſſolvere praeſenti litteratorum ſaxorum auxilio neceſſe habuerunt Chronologicae ſcientiae Coryphaei? Nonne Imperatorum aetates, tribunitiae illorum poteſtatis annis, & quinquennalibus, decennalibus, vicennalibus votis, per epigrammata non ſecus ac nummos adnotatis, exigi ac definiri debuerunt? Urbi & Praetorio tum in Occidente, tum Oriente praefectorum, ſuo cujusque tempore collocandorum, continuam ſeriem conſuendo, quis par eſt? niſi eadem ſibi in adjutorium advocaverit. Sciunt haec ſacris iſtis initiati, cunctaque abunde adſtruxerunt SCALIGERI, SELDENI, USSERII, PETAVII, BARONII, CASAUBONI, ONUPHRII, PIGHII, NORISII, PAGII, SIRMONDI, RELANDI, MASSONII, centumque alii, quos praeterita duo ſecula noſtraque aetas tulere.

Ad Geographica vero quanto opere valeat laudatum toties ſtudium, cui veſtrum poteſt latere? Simulac celeri quantumvis cogitatione in loca divagetur millena, quibus per totum Romani orbis imperium, cum ante, tum poſt ipſius magnitudinem, ſunt poſita haec ſaxa. Si adtendat, quot ſingularibus populorum, regionum, urbiumque nominibus, quae

aut nusquam in libris, aut mendose comparent, insignita sint: unde partim veram vetustorum locorum adpellationem, celebritatem & fata, partim recentiorem eorumdem, vel novorum, quae deficientibus prioribus succreverunt, denominationem, istiusque vicissitudinis momenta caussasque adprehendamus. Milliarii, quibus passuum numeros, ac mansionum aut nobiliorum civitatium intervalla, vel ultimos regionum terminos in militaribus viis denotabat Rheae soboles; nec non legionarii hibernorum lapides, & figlina opera lamnaeque ad antiquos situs; distantiamque investigandam quin valde prosint, ecquis ambigere animum inducet? Illustri sit documento vel sola Germania inferior, nostraque Batavia. Namque illam his utriusque speciei praeter cetera monumentis, e quibus priscam patrii soli conditionem, locorumque positum & ingenium sagaciter explorare, ac deformare haud irrito conatu tentavere nostratis Geographiae studiosi, non esse pauperem, ecquis ignorat?

Atque ita emenso, quem mihi proposueram, cursu, marmoreorum titulorum praestantiam, utilitates, ac necessitatem, mira cum jucunditate & delectatione, quae per se patet, conjunctam, satis superque, ni fallor, praedicavi; seu potius curta in tabella rudiore penicillo earum lineamenta duxi. Statuarum nunc & simulacrorum majestatem usumque, de quo nonnihil submonui, copiosius commendare ferret voluntas.

lenitas. Sed horae, quae defluxit, vestraeque patientiae consideratio memet inhibere, ac reprimere me jubet. Hic immo respectus intra humaniorum literarum cancellos, gyrumque me concludit; perque diversa exspatiari, aut singulis a sublimiorum doctrinarum sectatoribus, iisque, qui naturalium rerum miracula scrutantur, ex vetustiorum monumentorum penu depromendarum persequi vetat recensum. Eo igitur revertatur, unde ingressa est Oratio.

Tot tantaque emolumenta quum ex his lacerae Antiquitatis fragmentis veniant, & in aequos ejus admiratores congerantur; protinus post dispulsam barbariei, & crassae, qua per aliquot secula major Europae pars, velut Cimmeriis tenebris obsita, squaluerat, ignorantiae noctem haec commoda praeceperunt recens illuminati viri, delibatumque tantarum lautitiarum gustum cum Romanensis Ecclesiae Pontificibus, & potentibus Italarum rerum dominis, qui ejectas in exsilium a Turcis Musas liberali hospitio susceperant, communicarunt. Non pauci ex iis, blanda novarum scientiarum vi & dulcedine capti, evaserant litterati viri, erantque maximi doctrinarum & eruditorum fautores. Quapropter illis aurem facile praebuerunt, nec curis sumtibusque pepercerunt, quin ipsorum studia his adjumentis promoverent. Hinc ilico ex miserandis profundisque Italiae urbisque Romae ruinis inscripti lapides, statuae & imagines pe-

nitus extrahi, ac quaſi ab inferis excitari, aut indigne jacentes ſubrigi, & inſtaurari coepere. Miſſi ſunt per varias orbis plagas, qui antiquiſſima rudera ubique excuterent, ac marmora, litteris notata, perſcrutarentur. Quîs omnibus primam gloriam praeripuit numquam ſatis digno praeconio proſequendus CYRIACUS Anconitanus. Et quo plura detegebantur, eo major adfulgebat utilitas, latiuſque dimanabant & Inventorum & Principum, quibus haec cordi erant, laudes. Hinc, percrebreſcente ſtudio, finitimi quoque ſuccendebantur, ultraque Alpes, quas dudum eruditionis transſcenderat fama, procucurrit cernendarum inſcriptionum ardor, ac paullatim multi reges, principes, ſacri ordinis purpurati & dynaſtae, quarumdam etiam urbium magiſtratus palatia, domos, curias, & aulas tam pretioſa ſupellectile replendi exornandique cupiditate flagrabant, & iteratis ſaepe vicibus trans maria & terras delegarunt doctos, ut quovis labore, quavis mercede, pretiove illam nanciſcerentur. Ex quibus idcirco cumque locis avelli, tolli, aſportari haec ſpolia quiverunt, in ſuperba atria, ſplendidas porticus, ac ſuburbana praedia villaſque recepta, &, luto muſcoque deterſis, in curioſorum expoſita ſunt conſpectum. Talium hinc armamentariorum plena nunc eſt Italia, abundans Gallia, dives Britannia, & minime expers Germania, Hiſpaniaeque. Sed quum ſis quoque eruditorum commercio manerent diremta, quorum cru-

me-

menae, munerumve, ac vitae ratio non patitur eorum perlustrandorum caussa in exteras abire regiones; unde sua plurimorum moles, vel incubantes iis domini transportari prohibent: ad aere sculpendi & typographiae auxilia confugerunt, & quaevis marmora per chartarum, quibus nullae viae sunt interseptae, beneficium universo orbi inpertiverunt, quiqui de Graecis Romanisque litteris bene studuerunt mereri. Quot quantaeque ex illo tempore inscriptionum cum suarum arearum iconibus, ac statuarum, ceterique ex antiquitatum naufragio salvi adparatus Collectiones, Thesauri, Musea, Syntagmata, Corpora & Voluminum turbae in lucem prodierint, si indicem formare, & editores a JACOBO usque MAZOCHIO ad hodiernos GORIUM, MURATORIUM, aliosque nobiles antiquarios pro meritis laudare vel vellem, vel possem; dies, nedum hora, argumenti copiae deesset. Etenim, ut hydropicis ab repetito liquoris haustu crescit sitis, ita suam viri docti prae hac monumentorum abundantia nondum restinguere, aut sedare valuerunt. Contra vehementius quotidie exardescit; tum quia continuis telluris emolitionibus passim suboriuntur nova; tum quia sexcenties adparuit, archetypa minus examussim expressa, nec fideliter fuisse publicata: mutuamque sibi litterati ac pecuniosi homines operam certatim tradunt. Quaecumque enim hi sollicite atque animose colligunt, alacriter illi & sollerter interpretari elaborant: atque hoc pacto subinde ad-

augetur, magisque se intendit historiarum & antiquitatum lumen.

Hisce omnibus de caussis exciti dudum, ac generosa aemulatione inflammati sunt nonnulli quoque nostratium primores, honoribus florentes, opulentique viri: qui inpensarum non parci, per Italicas aliarumque terrarum peregrinationes, aut amicorum, mercatorumque, istic & in Asiae Graeciaeque oris degentium, opera usi, haud contemnendam talium reliquiarum portionem sua in Gazophylacia recondiderunt, & indigenis alienigenas lapides inmiscuerunt. Quid ego vobis hic SIXTINOS, REYNSTIOS, SIXIOS, WITSENIOS, HEIDANOS, WITTIOS commemorem? Quid CUPEROS, WILDIOS, NEUVILLIOS, ULENBROEKIOS, quid alios, quorum in Museis frequens haec splenduit supellex, laudem? Quum autem post illorum obitum institutis identidem ea divendebatur auctionibus, & sic membratim distrahebatur, permagnam partem suo sibi aere vindicavit honestissimo sanguine & vetusta stirpe prognatus, GERARDUS PAPENBROEKIUS, Amstelaedamensis civis, patriaque in urbe sanctissimus plus semel Judicum praeses, atque antiquariae doctrinae & eruditorum amator cultorque. Is haec monumenta justo aestimans pretio, reliquit nihil, quo illis grande conciliaret decus; atque illustris PAAUWII exemplo, qui Heemstediam propter Harlemum arcem egregiis veterum artificum operibus olim

sic

ſic instruxit, ſuam villam Papenburgiam, quam ad Velſenum habebat ſatis lautam, illis honeſtavit, amplaque in porticu, vel ſpatioſos virideſque per xyſtos apte diſpoſuit, & crebro novis aliunde acceſſionibus hunc theſaurum locupletavit. Verum enim vero tu, optime Vir, & venerande Senex, vivus tantae poſſeſſionis gaudio frui, illamque in communem aperire uſum, non ſatis habuiſti. Naturae debitum, mortalitate exuta, poſteaquam perſolviſſes, erudito tamen orbi prodeſſe, & meritam ab eo gratiam capere, ac ſimul, ne, diſcerpta ſupellectili, tuae exiſtimationis memoria pectoribus, ut fit, efflueret, atque oblivione evaneſceret; cordate, magnoque animo cavere adniſus es: tibique tam ſapienter conſulenti ſuae, qua apud te valebant, auctoritatis calcar ſubdiderunt ampliſſimus vir, deſideratiſſimus Delphenſibus conſul, Academiae curator, litteriſque patronus, ARENTSIUS DUSSENUS, tuuſque popularis, ac reverendum noſtri corporis membrum, clariſſimus JOANNES ESGERSIUS. His igitur auctoribus atque inpulſoribus inductus, ultroque ſciens, quam perennem divinus JOSEPHUS SCALIGER, & praeclariſſimi viri WARNERUS, PERIZONIUS, RAVIUS prolixis in Athenaeum Lugduno-Batavum liberalitatibus ſibi pepererint laudem, teſtamento mandaſti, ut praeter denſam autographarum epiſtolarum farraginem, praeter JANI BROUKHUSII anecdota, & pictas aliquot ſummorum hominum imagines

 lapi-

lapidea supellex integra ad hanc Academiam veniret. Lubentissime paruerunt, quibus istud negotii dederas, ultimae voluntatis exsecutor, nobilissimus Noortvicani saltus Toparcha, eximiaeque bibliothecae dignus possessor, adfinis frater SIMON EMTINCKIUS, legatoque bene procurando praes, ac per te praefectus ESGERSIUS. Leidam devecta, jamque hic rite collocata stat, eoque stat modo, ut, si redivivus spectatum accederes, tuae te donationis haud poeniteret. Primi studiorum Maecenates, Academiae patres consultissimi, tuo beneficio sua responderunt munificentia, &, ut rerum dignitati congruente loco publice pateret, per ornatissimum, multisque in Academiam avitamque urbem officiis probe cognitum virum, DAVIDEM ROYENUM, curarunt. Tuae, PAPENBROEKI, imperatorum, principum, illustrium virorum ac feminarum effigies & simulacra; Tuae Ethnicorum deorum, dearumque statuae ac figurae, arae, cippi, urnae, anaglypha; Tuae Graecae Latinaeque inscriptiones in novo Botanici viridarii aedificio, ipsoque ejus laxo meditullio, decora fabrica excomto, speciose venusteque positae, vel parietibus innexae, ab incolis hospitibusque visuntur, ac seculis visentur futuris; Tuumque, cui hujus panegyris dicatus est dies, in excelso nomen fulget inmortalitati consecratum. Exsultent itaque, si quid terreni sentiunt, beati Manes, aeternaeque gloriae usura triumphent.

Sed

Sed & vos, celeberrimi atque amicissimi collegae, ceterique viri Academici, ex animo laetamini, grataque voce amplissimorum Curatorum, & PAPENBROEKII laudem junctim cantate. Hucusque suam felicitatem suasque divitias Hollanda merito jactavit Academia, atque instructissimo cujusvis disciplinae adparatu, librorum cum typis editorum, tum manu exaratorum copia, plantarum, quas oriens generat & occidens sol, ac nuper admodum dilatatus, majoremque partem ampliatus, plenus tamen, nutrit hortus, multitudine; Anatomicis segmentis & praeparationibus, Mathematicis, Physicis, Astronomicisque instrumentis, suo jure superbit, Gymnasiorum nulli cedens, pleraque superans, & cum ceteris concertans. Unum hoc Academicae dignitati & decori deesse videbatur. Litterata marmora, & religiosae vel artificiosae antiquitatis reliquias non poterat ostentare. Hunc, euge! defectum subplevit, hoc ornamentum adjecit, has primitias almae matri Academiae libavit PAPENBROEKIUS, nosque omnes in sui nominis venerationem obstrinxit: Quin etiam locupletes atque harum elegantiarum amantes viros, quos & doctissimos & honestissimos cara (& faxit deus, libera diu felixque!) fovet patria, in sui stimulavit imitationem. Utinam tam generosum exemplum, publicis commodis salutare, ac privatae famae, & familiarum honori cum levissimo pecuniae vel hereditariae sortis dispendio utilissimum, sequi, ac symbolam

conferre velint multi! Quod sedulo adhortamur, vehementer petimus, & per omnia Musarum sacra obtestantes enixe vovemus. Qua de re non possum non pronam mea publicaque vota juvandi praedicare voluntatem, quam in eruditissimo, ac plurimum reverendo viro, PETRO HOLLEBEEKIO, Amstelaedamensi Ecclesiasta dignissimo, laetus cognovi. Ille enim jam nunc, qualiacumque haberet id genus monumenta, aliquot abhinc annis ex Zmyrna sibi missa, per me Academiae donavit, meamque in meritas sui laudes, ac gratiarum actum, efficacissima illa bonorum incitamenta, elicuit vocem.

Interim vestra sorte vos inprimis gaudete adolescentes, dilectissimi Academiae alumni, quosque *liberalium* artium tenet amor, hilari alacritate gestientis. Ex quolibet celebratarum antiquitatum genere sportulam accepistis, quae suavissimum vestris studiis pabulum praebere possit. Romanos si duces, laureatosque imperatores, & juventutis principes Caesares de facie novisse volupe erit, vestris nunc luminibus eorum aliquot intueri licebit. Si reginas, Augustasque spectare juvabit, in stuporem vos abripient muliebres vultus pectoraque, faberrima arte efficta. Nec docti viri, si hosce praeoptetis, deerunt. Magisne conspicere, risuque prosequi varios gentium deos, semideosque amatis? Ecce! Jovem Serapidem, Apollinem, Bacchumque, vario ornatu, suisque proprietatibus decoros, nudas Veneres,

ala-

alatosque Cupidines pulcherrimos, Silenum, Pana, Faunos, ſuis inſignibus notabiles, Herculem cum Antaeo luctantem, vel aureis Heſperidum pomis ſuperbum, dominam denique Urbem, Fortunam, Salutem, Abundantiam & Nehalenniam deas, horrendumque Oceani cum ſuis piſcatoribus caput veſtro examini ſubjicient Papenbroekiana, nunc Leidenſia marmora. Romulidarum tropaea, paludamenta, thoraces, togasque, Graecorum pallia, feminarum pepla & ſtolas, multimodam & elegantiſſimam capillorum poſituram ſi conſiderare vobis lubebit, habetis hic, quod pluribus diebus oculos paſcendo, mentemque occupando aut recreando largam ſufficiet materiem. Si ſeveriore indole ac diſciplina ſitis, & plus anaglyphorum, ararum, tumulorum, [in quîs eminet unica cis Alpes, & ſumptuoſiſſima Marcelli, Romani Epiſcopi, annoque vulgaris aerae trecenteſimo decimo defuncti, marmorea arca] & urnarum placeant formae, vel dedicationum, donariorum, ac ſepulcrales tituli, patriaeque monumenta; ad ſatietatem uſque veſtro ſatisfacere deſiderio poteſtis. At ea vos illic legere, non me oratorem hic recitare oportet: deque iis, ut vetus & ſpectatus mihi amicus, acerrimusque Orthodoxae Theologiae vindex, JOANNES HONERTIUS palam nuper commonefecit, alio loco.

DIXI.



